



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

II. Typi Synagogae & Ecclesiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

temporibus ceptum esset, hi Judæis palam in concionibus & coronis ingerebant oracula Prophetarum; haud ignari scilicet quorsum ea receptis vulgo sententis explicari solerent. Haudquaquam igitur reclamabant circumstantes Judæi, nec patrum suorum patientiam aut inscientiam recentiores arguerunt; imo vero, eisdem amplexi sunt interpretationes prophetiarum. Puta nobile illud prædictum è Psalmo secundo:

Psal. 2. 8.

Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ;

Psal. 67. 31.

quod nos demonstravimus in septima Propositione ex Ebræorum sententia Christo adscribi. Ei quoque in Schemoth Rabba adjudicatur istud, quod ex Psalmo sexagesimo septimo excerpimus: *Venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Regna terræ cantate Deo.* Effatum istud Isaiæ, quod attulimus è quadragesimo

Act. 13. 46. & seq.

nono capite, quodque sic Judæis apud Pisidas Antiochenos exposuerunt Paulus & Barnabas: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus, Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Audientes autem gentes gavise sunt, & glorificabant verbum Domini: non aliter intellexit R. David Kimchi, ex eo quippe colligit gentes salutis Israëlitis promissæ fore participes post bellum Gog & Magog, quod Messia temporibus conflatum iri Judæi autumant. Eodem refert Aben Ezra *עליון* alteram è sexagesimo quinto Isaiæ huc deprontam;*

Isa. 65. 1.

*Quæserunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæserunt me. Dixi, Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum: quæ *עליון* Paulus in Epistola ad Romanos in ejusdem doctrinæ probationem prius usurpaverat. Ad vocationem etiam gentium in Gemara, Tractatu de Paschate, confertur istud Osæ: *Et dicam non populo meo, Populus meus es tu; & ipse dicet, Deus meus es tu: quod in Epistola ad Romanos in eandem sententiam flecitur. Idem significari docetur in Beresith**

Rom. 10. 20.

Osc. 2. 24.

Rom. 9. 25.

Amos 9. 11.

Soph. 3. 9.

Act. 17. 16.

*Rabba his Amosi verbis: In die illa suscitabo tabernaculum David, quod decidit; & reedificabo aperturas murorum ejus; & ea quæ corruerunt, instaurabo, & reedificabo illud, sicut in diebus antiquis: atque his item Sophoniæ: Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno: quarum *עליון* priorie in eundem sensum utitur Jacobus in Actis. Adde Maimoniden in Jad, libro ultimo, capite de Regibus, scribere Judæorum hanc esse sententiam, futurum ut Messia hortamentis excitatæ ad pœnitentiam gentes veram legem capefiant. Thalmudici etiam expectatam sibi gentium vocationem insigni Parabola adumbrarunt; equi nimirum, in turo stabulum claudi bovis.*

Typi Synagoga & Ecclesie.
Gal. 4. 22, & seq.

II. Atque hæc gentium adoptio, & Judæorum rejectio, clarissimis præterea designata est typis in Veteri Testamento. Utamque in Abrahami liberis, uno Agare ancilla nato, altero Sara libera, expressam Paulus in Epistola ad Galatas accurate exposuit: & Judæi quidem filii sunt Synagogæ, quæ Legi subdita est, in ejusque obsequium mancipata; nos vero filii cœlestis Hierosolymæ, Ecclesie nimirum, quæ libera est, *qua libertate Christus nos liberavit. Quod & significatum esse docet Paulus*

Isa. 54. 1, & seq.

præclaro Isaiæ *עליון*, quem & huc attulimus: *Latere, sterilis, quæ non parit; erumpe, & clama, quæ non parturit; quia multi filii deserte, magis quam ejus quæ habet virum.* Synagogæ etiam & Ecclesie in Phenenna & Anna, uxoribus Elcanæ, accurata constat effigies. Phenenna complurium liberorum mater Annæ sterilitatem suam exprobrabat. At hæc precibus tandem suis exorato Deo, sancta & felici prole aucta est. Quæ cum ob susceptam sobolem Deo ageret gratias, cœlesti commota afflatu eas edidit voces, quas hic è prioris libri Samuelis secundo capite repræsentavimus, futuram gentium per Christum vocationem, Judæorum vero damnationem liquido prædicentes.

Duplex eruitur sensus ex Isa. 10. 18, & seq.

III. Contuli huc quoque memorabilem prophetiam, ex Isaiæ decimo nono capite petitam, qua futurum prædicit, ut in media Ægypto ara statuatur Deo, hostiæque ac munera publice offerantur. Psammitichi & Sennacheribi ætati hoc adscripserunt nonnulli. Verius Josephus Heliopolitanum Oniæ Templum signari censuit: quemadmodum supra ad Propositionem sextam observavimus. Sed quamvis *עליון* sensum hunc tribuamus, alium tamen sensum obtinere potest *עליון*, & vocationem gentium notare; juxta illud Malachiæ: *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

Mal. 1. 11.

